



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

IV. Iac. Sadoletvs Episc. Carpent. Antonio Prato, Episcopo Senonensi,  
S.R.E. Cardinali S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

am vice rationem adolescenti ipsi prescriperam) tamen postquam ista tibi ferebat, tua gravissima intercessit autoritas, debeo culmine, nihil non optimo a vobis factum esse consilio. Tantum a Deo peto, ut adolescens, quem ego certe diligo, dignum se hoc beneficio, & insigni humanitate prebeat. Quod autem ego plurimum facio, quodque mihi ad legitimum animi, & ad voluntatem maximum est, habere tam illustre monumentum tui erga me amoris, de eo tibi optime atque amplissime Bellai, tantas habeo agoque gratias, quantas maximas & animus meus capere, & lingua verbis proferre ac nunc cupare potest. Sed tu fortasse hos vocabulorum sonitus non postulas, animum meum requiris: quem tibi semper deditissimum, quotidie etiam magis magisque constitutum atque obligatum habiturus es. Qui quidem ita tuus est, ut sine te, & sine dulcissima recordatione tui, necum nunquam esse possit. Eum ego necum una, cumque omnibus meis, qui omnes tui sunt, dedo tibi atque trado: teque oro, ut eam istam voluntatem erga me, quae est mihi rerum omnium charissima, conserues & tueare. Fratrisque mei filium, etate etiam aene & moribus adolescentem, ita tibi commendatum habere, si se dignum patrocinio tuo praeberit. Vale. III. Id. Martij, M. D. XXXVI.

## IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Antonio Prato, Episcopo Senonensi, S. R. E. Cardinali S. P. D.

Quo tempore Romam a summo Pontifice ex mea Ecclesia evocatus accesseram, ea conditione eram profectus, ut consensu rebus mei muneris (eram enim illi a consiliis, ut tu scis) liceret mihi ad meam Ecclesiam reverti, & in ea diu iam debita, & super inchoatum Deo omnipotenti famularum impenderet. Quod & postea feci optima Pontificis voluntate, ita apto tempore atque opportuno, ut facile appareret iusta & recta compensationis libenter Deum opem ferre. Viginti enim diebus ipsis ante sum elapsus, quam illa clades, horribilisque calamitas urbi Romae incidere. Qua etsi mea quoque fortuna omnes dissipare fecerat: salus tamen mea, & libertas, mihi incolumis retenta est. Maxime causa dolendum mihi non fuit, neque enim admodum sum iactura rei familiaris commotus, alienam autem vicem quin dolerem humanitatis causa facere non potui. Grauius tamen morore & acerbissimis animi angoribus ex multorum amicorum, ac summi precipue Pontificis incommodis

dis fui affectus: quem ego (Deum immortalem contestans) virum bonum, eundemque prudentem pacisque imprimis amatem esse semper cognoui: verum aliquotum minime prudentis consilii parum felicem. Sed mihi ad meam ecclesiam iam reuulso tua amplitudo propofita imprimis fuit. Arbitrabar enim mei officij esse, meaque perpetua erga te obseruacia, aliquid ad te scribere, ex quo & mea fidelis tuorum erga me meritorum memoria, & maximarum clarissimarumque virtutum tuarum admittatio tibi significaretur: egoque quod diu ante cupiebam, amplificatae dignitati tuae gratulari: cuius ipse quoque pro virili mea parte, si non adiutor (tua enim summa & prestabilis virtus atque auctoritas meo adiumento non egebat) at certe conscius, & diligens minister extitissim. Accidit autem propter mea plurima incommoda, maximasque omnium rerum difficultates, ut ab hoc scribendi officio usque ad hunc diem fuerim retardatus. Gratulor igitur tibi, vereque & ex animo gratulor, quod hunc istum amplissimi sacerdotij honorem ita es adeptus, non ut gratia ille datus, sed ut virtuti tributus fuisse videatur: ut in eo non fauor, sed meritum non muneris, sed praemij ratio, non voluntas dantis, sed accipientis dignitas fuerit spectata. Qui quidem honor in te collatus, mihi ipse honestior atque insignior multo videtur esse factus. Nam quod ad honorem ipsum attinet, multi saepe indigni illum obtinuerunt. Sed habere usum rerum maximarum, fugare infamias & turpitudines, abstinere alienis, iustitiam colere, negotiorum maximorum & curarum altissimarum autorem esse sapientem, ingenio, integritate, doctrinaque prestare, veri huiusmodi vera ornamenta sunt. Quae cum in te mea sententia maxima sint, magis honori ipsi propter te, quam tibi propter honorem ducimus gratulandum. Ille enim indicare tantummodo habet eius hominis, in quem collatus est, virtutem & dignitatem, in quo fallere saepe est solitus. Tu vero effecisti, non ut nunc demum vere indicet, sed ut plus in te etiam prestare, quam in aliis promittere posse videatur. Sed haec clariora, quam ut multa egeant predicatione, parcius attingenda sunt. Tantum à Deo immortali est postulandum, ut tibi istum honorem fortunet, & perpetuae felicitati iubeat esse: quod nos summa cum benevolentia & amore erga te eundem ipsum Deum supplices deprecamur. De me autem ipso hoc tibi habeo dicere: cum tua erga me vetusta merita grata mihi recordatione in animo semper versentur, non posse me obliuisci quantum tibi debeam. Itaque laboro dies ac noctes, ut aliquo modo possim in te videri gratus. Et quoniam ceterarum facultatem rerum fortuna mihi ademit, illud quod proprium est mihi ab Deo omnipotenti donum, quod ego sacris literis & praestantissimis disciplinis apprime deducere

tere scribendo non nihil possum hominum de me & de ipsa virtute beneficiorum memoriam: totum tuæ laudi & amplitudini deservo. Etenim hanc voluntatem meam si non fueris alpernatus, dabitur aliquando nobis locus, ubi memorem me tuorum erga me meritorum & tu ipse agnoscas, & ventura posteritas intelligat. Vale amplissime patrone, & tuo patrocinio nos fouere ne desine. Carpent. VII. Idus Sept. M. D. XXVIII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Antonio Prato S. R. E. Cardinali S. P. D.

QVIA notum est meum erga tuam amplitudinem studium, & incredibile tui nominis obseruantia: ideo fit, ut quidam homines, de tua in me vicissim voluntate coniecturam facientes, cupiant tibi per me commodari. Quibus ego profectò hoc officium humanitati debitum non negabo: dum illud prius tesser, in cunctis quecumque a te petiero, ita mihi cupere morem gerere: si ea tibi & facilia factu, & æqua atq; honesta esse videbuntur. Ioannes Fraxinus, qui has literas tibi reddidit, cuius est Auenionensis, imprimis honestus & bonus, mihi autem, & sua causa, & suorum necessariorum ac cognatorum, quos ego mirificè diligo, valde charus atque iucundus. Is ad nostrum hoc vitæ genus, & ad sacerdotalem ordinem aspirans, cuperet ecclesiastica aliqua veltigalia consequi: quod difficillimum sibi putat fore, nisi sacerdotiorum in regno obtinendi aliquam facultatem sit nactus. Eum porò arbitratr se tua vnus ope atque auxilio consequi posse: inque eum tuæ bonitatis, beneficentiæ, humanitatisq; commendando: ut per te, perq; tuam gratiam ac benignitatem, optatum citius votorum suorum consequatur. Quod facilius efficere poteris, quòd & ipse mediocria postulat, & tua etiam limitandi ac detrahendi futura est potestas. Ego, si hoc in illum beneficium meæ commendatione adductus contuleris, non mediocri me ipsum beneficio abs te affectu esse arbitror. Erit enim hæc significatio tuæ erga me voluntatis, non modò honori mihi & ornamento apud hæc nationes, sed animo etiam meo præcipuè gratæ quippe qui fructum meæ in te summæ obseruantia summique amoris non alium prorsus quero, quàm amorem ipsum tuum: quo ut perpetuò dignus sum, omnibus meis studiis atq; officiis diligentissime prouidebo: tuorumq; erga me meritorum memoriam grata semper recordatione prosequar. Tu ut nos diligas, habeasq; in numero tuorum, omni animi cura & studio abs te peto. Vale. Carpentoraci, XV. Calend. Martij, M. D. XXIX.

IAC.